

tim, quae de sollicitatione confessarium incusant, quia, ut diserte ait jus (C. Forus *de verb. signif.*), *varium et mutabile testimonium semper* (nota) *foemina producit*, eo vel magis quod aliquando atrociter perverso fine calumniatae sint. Omnia mature perpendantur, maxime si mulier facilem se praebet ad denuntiandum, vel si non sit uniformis in circumstantiis narrandis, vel si levitatem quamdam praese ferat, et alia id genus, quae suspicionem non bonam movere habent viro prudenti; nec non severe moneantur, quae falso accusant, quod praeter gravissimum peccatum, incurrant in casum Pontifici reservatum, et obligatione sese retractandi teneantur.

8.^a En forma et normae denuntiationis faciendae (1). *Primo*, denuntiationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent, quia judicialiter sunt faciendae. *Secundo*, faciendae sunt voce, in quantum fieri possunt, non vero scripto tantum, cum persona sollicitata sistere se debeat coram Ordinario vel Inquisitori, quin tamen proprium consensum, si quem praestiterit, ullo modo patefaciat. *Tertio*, faciendae sunt Ordinario vel Inquisitori loci in quo confitetur poenitens, etiamsi confessarius sollicitans ad aliam dioecesim pertineat vel sit quomodolibet exemptus; qui Ordinarius vel Inquisitor loci juratam denuntiationem ad Episcopum sacerdotis transmittere debet. *Quarto*, licet denuntiatio sit onus personale, si tamen voce fieri non possit, facienda est per epistolam proprio nomine et cognomine subscriptam, aut saltem per internuntium, quia finis legis est delinquentem deferendi (2). *Quinto*, si persona sollicitata

(1) Quae de forma et normis hujusm. denuntiationum exponenda veniunt, semel monuisse sufficiat, ea deprompta esse tum ex Apostol. Constit. jam citat., tum ex variis Decr. S. Inquis. et praecipuae ex cit. Instr. 20 Febr. 1867, tum ex D. Alph. Pignatelli, Albitio, Scavini, Rota, aliisque probat. auctorib., quin loca ipsa singulatim semper laudemus.

(2) Ex cit. Instr. 1867, ad 7, prout tenet comm. sent. cum S. A. 593. Viva, in prop. 7. Alex. VII, n. 8. Scav. II, 403. Del Vecch. II, 769, Gur. II, 558. Baller. l. c., D'Ann. III, 238. Berard. Praez. 569. Costant. l. c., 125. Marc, 1800. Proinde jam omni fundamento destituitur contraria sent., quam contr. S. A. tuetur Frassin. Not. 167, et recentius cl. Rota, l. c., 431 seqq. qui, licet multa eruditione et subtili argumentatione conetur verba Instr. cit. in suam sententiam deflectere, praesertim ex illis verbis *per se*, in quamdam tamen ratiocinationis fallaciam incidit, ita ut argumentum retorquere liceat, si tamen egregii auctoris mentem plane assequutus sum.

aliquo impedimento vel perpetuo vel diuturno detineatur ne personaliter ad denuntiandum accedat, exaret *Memoriale*, in quo declaret se aliquid habere exponendum pertinens ad S. Officium, et ideo rogat Reverendiss. Episcopum, ut personae prudenti ex alterutro Clero committat, ad recipiendam suam personalem denuntiationem, ad talem locum, omni cautela et secreto, se conferre, ut ita possit denuntians suae conscientiae providere; et deinde subscribat *Memoriale*, nomine et cognomine proprio. Adverte tamen quod in hoc *Memoriali* exponi debent circumstantiae omnes quae denuntiantem detinent a comparendo personaliter. Dictum *Memoriale* fieri potest lingua vernacula, et mediante confessario transmitti ad Praelatum. *Sexto*, si vero nullo impedimento retenta persona sollicitata denuntiationem omnino renuat, *laudandus quidem est confessarius qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel S. Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso poenitentis nomine* (Instr. cit. 1867), sed pariter monendus cum S. Alphonso et aliis permultis (VI, 699), non expedire quod ipse assumat in se hoc onus deferendi denuntiationem vice poenitentis vel eam excipiendi, quia sic non paucis detractionibus et periculis exponeretur; et tanto minus ad id tenetur: ad hoc enim unum obligatur confessarius: *monere suos poenitentes de obligatione denuntiandi, eosdemque recusantes non absolvere*. Casu tamen quo onus (non denuntiandi sed tantum superiorem consulendi circa providentias opportunas) susceperit, en formula qua vel simili uti poterit: *Ego infrascriptus confessarius humiliter expono, quod quaedam poenitens fuit a confessario sollicitata hoc modo* (describatur diligenter facti series). *Monita per me de obligatione denuntiandi, absque ulla causa et impedimento renuit id praestare; et comminata ei absolutionis denegatione, semper respondit: nolo denuntiare* (si vero poenitens aliquem vel minimi momenti praetextum adducat, exprimi debet). *Tunc inabsolutam abire eam jussi. Ne autem anima ejus in peccato sordescens pereat, Eminentiae Tuae* (vel *Excellentiae*, si scribatur Ordinario), *casum istum pro remedio, et providentia opportuna exponendum censui, etc.* (Ex cl. Rota, l. c. 451). Animadvertat porro confessarius, ut monent probati auctores, quod in hoc

casu rei notitia extra confessionem accipienda est; imo, si fieri potest, facultas *in scriptis* obtinenda est ad ea graviora mala vitanda, quae ex hoc oriri possunt. *Septimo*, si neque apud confessarium (ex delegatione episcopi, alio omnino deficiente modo denunciandi) induci posit poenitens ad denuntiandum, recuratur ad S. Sedem per S. Poenitentiarium (tacito item poenitentis nomine), quae in casu magnae verecundiae et panici timoris ab hoc onere interdum dispensavit, dando nihilominus confessario facultatem absolvendi, et dummodo (nota) poenitens sollicitatoris nomen confessario manifestet cum facultate illud episcopo revelandi; ut provisum fuisse an. 1860, refert Scav. III, 516. *Octavo*, sacerdos ad denuntiationem excipiendam deputatus jurare debet de silentio servando, et de munere sibi commisso fideliter exequendo, nec non statim a recepta denuntiatione, eam continuo ad Episcopum delegantem transmittere quam caute, neque confecti actus exemplar vel vestigium aliquod sibi retinere.

79. Dubia. — 1.º Quid agendum in dubio de sollicitatione? *Primo*, si persona confessarii sit certa et dubitetur an ejus factum vel dictum fuerit vera sollicitatio, tunc certe non est obligatio denunciandi, tum quia in dubio nemo privandus est fama quam possidet, tum quia crimen dubium non est fama quam possidet, tum quia crimen dubium non est crimen, et proinde non cadit sub lege; at si accedant indicia vehementia, tunc (nota) facienda est denuntiatio, quia haec indicia, licet evidentiam non producant, fundant tamen certitudinem moralem (S. A. 702; Scav., III, 405). *Secundo*, si factum vel dictum sit vera sollicitatio, et tantum dubitetur an ille vel alius confessarius id egerit vel dixerit, tunc denuntiatio facienda in solo casu, quo facile iudices per suam diligentiam certi fieri possent de persona sollicitantis; casu vero quo hoc facile fieri non posset, tunc omnino denuntiatio omittenda, quia alias sacerdos ille, cum possit esse innocens, remaneret aliquo modo diffamatus, quod prorsus non licet, cum in dubio, ut diximus, nemo privandus sit fama quam possidet. *Tertio*, si dictum vel factum sit de se vera sollicitatio, et persona confessarii sit quidem certa, sed dubitetur an ea dixerit vel egerit ad malum finem,

tunc denuntiatio facienda est, quia praesumptio desumitur ex communiter contingentibus et ipsius finis praesumendus juxta proprietatem verborum (S. A. 702). *Quarto*, si dictum vel factum esset quidem de se vera sollicitatio et persona confessarii item certa, at dubitetur vel non satis constet num sollicitaverit quasi confessarius, seu reduplicative ut talis, ut puta, si non appareat utrum sollicitatio facta fuerit *immediate ante* vel *post* aut *occasione* vel *praetextu* confessionis, tunc, vi Constitutionum, denunciatio cessat. Dico *vi Constitutionum*, quia istae obligant ad denunciandum confessarium tantum qua confessarius est, seu quatenus ejus sollicitatio relationem habet ad actum confessionis sive vere sive fecte peractae vel peragenda, et proinde denunciatio exulat si sollicitet non in iis rerum adjunctis, quae a Constitutionibus determinantur (D'Ann., III, 238; Berard., *Prax.*, 564).

2.º An absolute et prorsus in omni casu confessarius debeat monere poenitentem de obligatione denunciandi sollicitantes? Affirmative; *quia*, juxta omnes, quando agitur de bono communi, ut in hoc casu, monitio semper est facienda etsi cognoscatur profuturam non esse; *quia* ex Const. Pontificiis et ex cit. *Instr.* 20 Febr. 1867, manifeste evincitur obligationem monendi esse absolutam, adeo ut expresse dicatur quod ab admonendis poenitentibus non excuset bona fides; *quia* ipsa hypothesis qua, in dicta *Instr.* ad VII, supponitur quod poenitens omnino recuset denuntiationem et ideo recurri debeat ad S. Sedem pro opportunis providentiis, indubie probat quod ex mente S. C. monitio fieri debeat, etsi praevideatur poenitentem omnino renuere, licet nullo impedimento detentum (S. A. 694; Marc, 1979). Hinc probabilitate caret, si quid iudico, opinio Frassinetti, nota 170, in sua generalitate sumpta, propter tam rigorosam jussionem. Neque dicas: dari potest casus (*v. supra p.* 214, *nota*) in quo poenitens propter nimiam difficultatem denunciandi eximatur a denuntiatione, et proinde confessarius a monitione, quia, inquam, istae duae obligationes sunt omnino inter se distinctae nec necessario connexae. Etiam si hoc praevideat, nihilo tamen secius debet poenitentem monere, et postea vel admittere simpliciter motivum non de-

nunciandi, vel monere (Formisano, *Teol. Mor.*, p. 11 app. al sacr. della penit., a. 8; Buccer. in *Sacram. Poenit.*, n. 31 y 38) quod pro tunc excusatur a denunciatione facienda ob illam, puta, circumstantiam, at obligationem reviviscisci, impedimento cessante.

3.^o An denunciandus confessarius monialium qui monialem sollicitat ad turpia in loco in quo indifferenter, et audiuntur confessiones monialium et alia quidem negotia ab aliis pertractantur? Si tempore, quo solet in eo loco confessiones audire, una ex monialibus accedat, non cum intentione confitendi, sed alloquendi dumtaxat confessarium de aliqua re, et interea iste eam sollicitet, denunciandus est, quia sollicitat praetextu confessionis, confessionem simulando; si vero accedat alio tempore, non cum intentione confessionis, nec eam simulando, sed ad confessarium alloquendum de alio negotio, tunc non puto denunciandum si sollicitet, quia non adest nec occasio, nec praetextus, nec simulatio confessionis (v. Matteucci, *l. c.*, n. 5-7; Potestà, *l. c.*, p. 22, n. 530 seqq.).

4.^o Quaeenam signa quibus reputatur confessio simulari? Ex parte confessarii: *sedere in loco convenienti ad confessiones destinato, vel, quasi ad confessionem electo; benedicere mulieri; manum ante faciem tenere, modo quo fit dum confessiones audiuntur in loco publico, omnibus inspectantibus; manum supra ipsam extendere quasi absolvendo; visitare aegrotam, quasi ejus confessionem audiendo.* Ex parte sollicitati: *genuflexio in confessionario aut in loco quasi ad confessionem electo; signum crucis; percussio pectoris; manuum conjunctio; humilis allocutio cum confessario, quae exterius appareat accusatio peccatorum; efformatio signi crucis, quasi absolutionem accipiendo, et alia id genus.*

5.^o An et cuinam denunciandi episcopi sollicitantes? Utique denunciandi sunt, et Pontifici, si commode fieri potest, alias Inquisitori, qui licet processum extruere non possit, denunciationem excipere potest ad referendum Pontifici; quod et dicendum de nuntiis, legatis aliisque officialibus Papae immediate subjectis, nec non de abbatibus jurisdictionem quasi episcopalem habentibus (S. A. 685; Scav., III, 399; v. Trid., sess. 24, c. 5).

6.^o Confessarius ex metu infamiae consentiens sollicitationi mulieris, quae, ni consentiat, minatur eum accusare de sollicitatione, aut se exclamaturam vim sibi inferre, puta, dum eum accersivit fingens se infirmam domi, estne denunciandus? Probabilius negative. *Primo*, quia ejus consensus ad inhonesta non est simpliciter voluntarius, sed electus ad vitandam gravem infamiam, quae est grave damnum, quod in casu prudenter et probabiliter ex mulieris accusatione vel vociferatione timetur; porro ex una parte metus infamiae, praesertim ex tali capite, est certe metus cadens in virum constantem, cum *calumniā* (et consequenter fundatus timor illius) *conturbat sapientem et perdet robur cordis illius* (Eccl. VII), et ex alia parte *quae vi metusve causa fiunt carere debent robore firmitatis* (C., *Ad audientiam* 4, de his quae vi), cum aliunde certum sit apud omnes quod metus gravis excuset a lege positiva et humana, qualis est lex denuntiationis, cui proinde non subjicitur confessarius ex tali metu consentiens. *Secundo*, S. U. I., decr. jam cit., 11 Febr. 1661, censuerat esse denunciandum consentientem etiam ex metu inductum; porro in nov. *Instruct.* die 20 Febr. 1867, de hoc casu nulla prorsus fit mentio, quod merae inadvertentiae tribuere non licet, ut bene *Vind. Alph.*, p. V, q. 20, a. 1, notant. *Tertio*, etiamsi standum esset cit. decr. 1661, cum ibi dicatur tantum denunciandum esse metu consentientem, hoc intelligi potest de metu levi, imo debet, cum non praesumatur S. C. loqui de metu gravi qui excusat a lege humana. Hoc practice mihi certum videtur (D'Ann., III, 235, not. 8; Bonac. d. VI, p. 3, n. 17). Huic opinioni a fortiori adstipulantur quotquot cum S. A. 681, tenent non denunciandum simpliciter sollicitationi consentientem, quod supra rejecimus.

7.^o Confessarius immediate post confessionem dixit mulieri: *hodie petam tuam domum ad tale agendum negotium*, puta, ad faciendum testamentum holographum; et cum petiisset et de illo negotio revera simul egissent, postea sollicitavit; estne denunciandus? Probabilius et verius, salvo meliori iudicio, negative. Realis enim et seria tractatio negotii, praesertim magni momenti, vere probat ex communiter contin-

gentibus mentem confessarii fuisse illud agendi, et tantum occasione ejusdem negotii (non confessionis), et eo peracto, experiisse tentationem sollicitandi: quid aliud probari potest ex facti specie? Neque dicas ex jure *exitum acta probare*, quia, ut egregie arguit cl. Rota, cum habeamus in casu duplicem exitum, bonum, idest tractationem negotii, et malum, idest sollicitationem, cur verba *hodie petam*, etc., referenda potius sunt ad exitum pravum, qui fuit posterior, quam ad exitum bonum, qui fuit prior? Praeterea nonne *humanae aures verba nostra talia judicant qualia foris sonant*? (Can., *Humanae*, caus. 22, q. 5). Atqui ex dictis motivum petendi domum mulieris, *foris* seu in *auribus humanis* adductum, fuit negotium agendi; ergo, nisi contrarium probetur, illud judicandum est fuisse in mente loquentis; et licet *non debeat aliquis verba considerare sed intentionem* (Can. cit.), tamen in humanis intentio alicujus ex qualitate facti praesumitur ita fuisse; ergo in nostro casu judicandum est intentionem veram fuisse negotium agendi, occasione cujus postea sollicitavit. Postremo, ex S. A. 677, saltem sollicitatio est dubia; ergo cessat (*v. Concl.*, 1).

8.º Si poenitens, aut in loco confessionis aut proxime ad confessionem, non opera confessarii sed suo morbo mente sopitus sit, et de eo confessarius utatur ad venerem, estne denuntiandus? Probabilius negative, quia non sollicitat occasione confessionis ad sensum Const., sed peccat occasione ipsius confessionis; Const. enim intendunt punire provocationem ad venerem, tum ad scandalum vitandum, tum ad injuriam sacramenti avertendam; porro in hoc casu neutrum adest, sed tantum abusus poenitentis *materialiter*, ut ita dicam, sumpti, non qua poenitens est, nec cum relatione formali ad confessionem (Sanc. Trullench. ap. Potestá, *de denunci.*, n.º 552, y *v. n.*º 516; Rota, n.º 354 seqq.).

9.º Si mulier extra confessionem adeat sacerdotem pro petendis consiliis spiritualibus, eique patefaciat se a confessario sollicitatam fuisse, teneturne ille eam admonere ut sollicitatorem denuntiet? Minime gentium vi Const., quia hae obligant confessarios, non vero alios; atqui hic in odiosis sistimus, in quibus et strictior interpretatio facienda.

Dixi *vi Const.*, quia potest ex alio capite obligari, vel quia mulier interrogat an denuntiare debeat, vel quia talia sunt facti adjuncta quod, propter bonum commune, imponant denuntiationem consulendam esse.

CAPITULO VI

Dirección particular de algunas clases de penitentes

80. Hasta aquí hemos expuesto los principios generales, por los cuales debe dirigirse el novel confesor en la administración del sacramento de la Penitencia y en el gobierno interior de las almas. Ahora, para mejor ayudarle en este difícilísimo, pero importantísimo ministerio, iremos aplicando estos principios á la dirección particular de diversas clases de penitentes, que pueden acudir á él por auxilio espiritual, y desarrollaremos aquellos puntos particulares de doctrina y de práctica que tienen relación con los diversos casos y que es necesario conocer. Ya se comprende que no se puede hablar aquí de todas las diversas clases de personas acerca las cuales puede tener que ejercitar el confesor su santo ministerio; ni de todos los casos que pueden presentarle los diversos penitentes de que se trata, sino de las principales clases y solamente de los casos más corrientes, pero también más difíciles, de la dirección espiritual. Y de lo que aquí diremos sobre el particular se deducirá fácilmente el modo de gobernarse en los casos que no se estudian concretamente.

§ I. DIRECCIÓN DE LOS OCASIONARIOS

81. Principios. — I. Aun cuando este nombre *ocasionario* sea término harto genérico, aquí, sin embargo, lo aplicamos al que vive expuesto á tal ocasión que encierre peligro próximo de pecado; por lo que debemos explicar estas dos palabras: peligro y ocasión de pecado. *Peligro* de pecado es